



S Florentius pietate & doctrina insignis extitit. hic anno sexcentesimo sexagesimo in Alsatia ad Breitscham fluuium, ubi postea Hasle oppidum fuit, Christum praedicabat. Is etiam praeter ueram doctrinam plurima miracula committebat, ut hac ratione infideles ad Christi regnum perducerentur. Erat tunc Dagobertus rex Austrasiorum eius regionis dominus, qui filiam a matris utero caecam atque surdam habebat. Eam quorundam consilio ad S. Florentium perduxit, petens ut oratione ad Deum facta filiam suam sanitati restitueret. Id cum Florentius magna laude effecisset, filia uisum & auditum recepit. Postea S. Florentius Epi-

scopus Argentinensis factus est, cui Dagobertus rex Haslensem ditionem dono dedit. Ibidem Florentius monasterium condidit, atque doctos uiros in eo collocauit, qui perpetuis laudibus Deum celebrarent. Rex etiam eius miraculi causa sese gratum Deo exhibere uoluit, atque in Alsatia duodecim monasteria erexit: inter quae in Ebersheimminster, Vueyssenburgi, Surburgi, atque Clingenbergae adhuc eiusmodi extant.